

*Sed quæres:* an etiam legibus irritantibus Princeps ligetur.—R. Si irritatio apposta est propter honestatem morum et securitatem justitiæ, Princeps tenetur attendere actus ab aliis celebratos sub præscriptis solemnitatibus; et ideo ex imperfecto testamento non capit hæreditatem, vel legatum, (l. 23. ff. de legat. 3. et l. 4. C. ad L. Falc.) At si ipse Princeps scienter omissis solemnitatibus actum gerat, dispensare secum censetur (l. 8. ff. de Manu-miss. l. 3. ff. de off. Prætor. l. 19. C. de testam.), quia summa majestas purgat omnem suspicionem fraudis. Si irritatio est inducta à jure humano, Princeps, sicut non ligatur legibus, ita nec actus ab eo gestus est irritus.

## §. III.

## De lege pœnali, et irritante.

22. Q. I. *Quid, quotuplex et qualiter obligatoria sit lex pœnalis?*

R. 1.º Lex pœnalis est, quæ transgressori pœnam statuit.

2.º Est duplex, *purè pœnalis* quæ præcisè obligat ad pœnam; et *mixta* quæ aliquid præcipit vel prohibet sub certa pœna; estque vel *copulativè mixta*, quæ obligat sub culpa et pœna, v. g. prohibemus ne Sacerdos in scenam prodeat sub pœna depositionis; vel *disjunctivè* seu *alternativè mixta*, quæ obligat ad alterutrum in textu expressum, v. g. Clericus in minoribus Ordinibus constitutus uxorem non ducat, aut privatus beneficio existat.—Pœna alia est *sententiæ latæ*, quæ ipso jure et facto incurritur; alia *ferendæ*, quæ primùm post sententiam judicis incurritur.—Item alia est *medicinalis*, quæ propter præsentem contumaciam infligitur ad emendationem et resipiscentiam delinquentis, uti sunt censura; alia *vindicativa*, quæ in punitionem prioris delicti statuta est.—Rursùm, alia est *positiva*, quæ ad sui exequutionem opus habet positiva actione, ut solvere pecuniam etc.; alia *privativa propriè*, quæ delinquentem privat jure jam quæsito, ut officio, beneficio etc.; alia *conditionalis*, seu *privativa improprie* quæ ob defectum conditionis privat certo jure, aut favore, quem jus non aliter concedit, nisi impleta conditione. Sic privilegio fori privatur minorista non beneficiatus, si habitum et tonsuram non deferat, et alicui ecclesiæ non deserviat; et Canonicus privatur fructibus pro rata, si horas canonicas omittat. Et hæc *conditionalis* non est propriè pœna, sed negatio cujusdam beneficii sub conditione concessi, qua non posita, non acquiritur hoc jus et beneficium.—Dabilis est lex purè pœnalis: nam tota vis legis pendet à voluntate Principis (arg. l. 1. ff. de Constit. Princ.); ergo si Princeps vult, obligare potest ad solam pœnam; v. g. quicumque venatus fuerit, pendet 30, quo casu non committitur venando culpa theologica, sed tantum civilis et juridica. Tales leges censentur esse pleræque venatoriæ, militares etc. His non obstat c. 2. de Const. can. 4. d. 3. c. 1. et seqq. de pœnis, l. 2. ff. de LL. ibi: *justorum et injustorum*, paritas à censuris, pœna conventio-

nalis, mortis etc.; nam ut aliqua pœna incurratur, sufficit culpa politica, seu juridica (arg. reg. 23 in 6.)

3.º Pœna *medicinalis*, uti censura ipso jure lata, incurritur ante sententiam declaratoriam, quia tendit ad emendationem.—*Vindicativa*, sive sit *positiva*, sive *privativa*, etsi ipso jure sit incurta, non stringit, nisi post sententiam declaratoriam criminis, quia ab humanitate alienum est ut quis sui ipsius vindex sit spoliando se possessione, beneficio etc.; sententia tamen lata retrotrahitur ad tempus delicti.—Si verò pœna fuit *ferendæ sententiæ*, non habet effectum suum, nisi post sententiam condemnatoriam.—*Conditionalis*, cum non sit propriè pœna, sed dispositio juris concedens jus quærendum sub conditione, incurritur ante sententiam judicis; quia Legislator non vult aliter jus istud concedere, nisi posita conditione. Plura de his ad tit. de pœnis, et tit. de sent. excom. lib. 5.

23. Q. II. *Quid, et quotuplex sit lex irritans?*

R. 1.º Est quæ actum contra formam juris celebratum reddit invalidum, seu nullum; et ista irritatio fieri potest dupliciter: expressè addito decreto, seu clausula irritante, v. g. *aliòquin actus sit ipso jure, ipso facto nullus, nullius roboris, nullas vires, nullam firmitatem obtineat etc.*; et tacitè vel æquivalenter, dum lex actui præscribit formam substantialem, sine qua actus utique est nullus. Quando autem lex præscribat formam substantialem, et quando accidentalem, ex subjecta materia et textu colligi debet.

2.º Lex prohibens non hoc ipso est irritans. Ità Canonistæ contra multos Legistas. Prob. ex c. 16 ad Apostolicam de Regul. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*. Imò nec de jure civili lex simpliciter prohibens est hoc ipso irritans: nam secundæ nuptiæ intra tempora luctus prohibentur feminae sub pœna infamiæ (l. 4. et 2. C. de secund. nupt.), et tamen non irritantur jure civili. Secunda venditio rei venditæ prohibetur sub pœna falsi (l. 21 ff. ad L. Corn. de fals.), et tamen talis venditio jure tenet (l. 15 C. de R. V.) Sententia sub conditione prohibetur dici, et tamen dicta valet (l. 4 § 5 ff. quando appell.) Ratio est, quia hæc duo: *prohibere et irritare* sunt diversa, neque unum inferitur ex altero: sic enim testamentum sine solemnitatibus, professio Religiosa ante expletum annum 16, irritatur, non tamen prohibetur, cum ita testari vel profiteri non sit peccatum: econtrà matrimonium sine denunciationibus, vel cum voto simplici castitatis graviter prohibetur, non tamen irritatur; ergo.—His non obstat celebris lex 5 non dubium C. de LL. ibi: *Licet Legislator prohibuerit tantum etc.*; nam, cum lex ista contradicat juri-bus aliis, intelligenda est de illa lege prohibente, quæ virtualiter est irritativa, ut si præscribat actui formam substantialem. Ceteri textus, ut reg. 64 in 6 § 7. In quib. ex caus. manum. § 1 de adopt. et similes dicentes actum contra jus gestum esse nullum, intelligendi sunt de nullitate, vel ipso jure, si lex est irritans; vel quoad effectum, si lex est purè prohibens, quia actus contra eam gestus rescindi potest, si natura sua solubilis est. Sicut econtrà actus ipso jure nullus dicitur quandoque rescindendus non de jure,

quasi fuisset validus, sed *de facto*, quatenus declaratur per sententiam fuisse invalidus, seu nullus. Quæ doctrina, cum sæpè sit necessaria, bene est notanda.

24. Q. III. *An lex sic irritans reddat actum invalidum, seu nullum pro foro tam externo, quàm interno?*

R. In hac celebri controversia certum est actum pro utroque foro esse nullum, si lex expressam mentionem faciat fori interni, v. g. *Ut actus nec in conscientia, nec coram Deo valeat, vel sit nullus absque declaratione etc.* Sic non valet provisio simoniaca in beneficiis (*Extrav. 2 de Simon, int. com. ibi: per electiones verò etc.*); collatio beneficii excommunicato facta (*c. 7 de Cler. Excom.*); vel usurario aut infami (*c. 11 de excess. Prælat.*) Sic etiam jure civili infames redduntur inhabiles ad dignitates (*l. un. C. de infamib. l. 2. C. de dignitat*); et *ex reg. pen. in 6: infamibus portæ non pateant dignitatem.*

Superest quæstio: an si lex tantum communiter irritet actum, v. g. testamentum, electionem etc., actus iste destitutus solemnitatibus juris sit nullus, etiam pro foro interno. Negativam sustinent Innoc. Añb. Jo. Andr. Laym. Pichler. Reiff. etc. Schmaltz. autem, nescio quibus principiis nixus, in hoc variat; nam alienationes rerum Ecclesiæ sine solemnitatibus dicit valere pro foro interno, testamentum verò non valere, adeoque doctorem hunc clarissimum neutri sententiæ tutò adscribere possum. Affirmativam defendunt Salmantic. cum citt. Suar. Barbos. Schmier. et plurimi alii celebres TT. et Canonistæ. Cum verò notitia utriusque sententiæ sit valdè utilis pro praxi, fundamenta generalia pro utraque afferam.

*Fundamenta sententiæ affirmativæ dicentis legem irritantem habere locum in utroque foro:*

1.º Certum est ex jure naturali et divino, quod leges pro bono communi late obligent in conscientia, sicut patet ex præcepto 4.º decalog. *et Rom. 13 Omnis anima etc. et Canon. 1 d. 8 ibi: ipsa jura humana per Imperatores et Reges sæculi Deus distribuit generi humano; et Can. 1 d. 9 ibi: quicumque ergò legibus Imperatorum obtemperare non vult, acquirit grande supplicium; ergò etiam leges irritantes, quæ maximè conducunt ad bonum Reip. obligant in conscientia. — Dices: obligant quidem, sed mediatè, scilicet mediante sententia judicis. Sed contra est: tum quia hæc responsio nullum habet solidum fundamentum in jure, cum ostendi nequeat, nisi forsàn à legibus pœnalibus vindicativis, inter quas tamen et leges irritantes est disparitas aperta; tum quia leges, nisi legislator aliud exprimat, per se primò obligant ad id, de quo disponunt; ergò si leges irritant actum, obligant per se, ne quis illo actu utatur tanquàm valido.*

2.º Lex justa in foro externo, est etiam justa in foro interno, siquidem justitia legis, cum non sit hypocritica, non minùs deservit pro foro interno, quàm externo (*arg. l. 1 § 1 ff. de J. et J. ibi: justitiam namque colimus etc.*); sed leges irritantes sunt justæ in foro externo, ut omnes concedunt; ergò etiam in interno; ergò illis parendum est ante ullam sententiam.

3.º Actus gestus à personis inhabilibus est nullus in utroque foro, ut facillè conceditur (*arg. Can. 4 et 5 d. 10*), quia inhabilis caret facultate ponendi actum; sed irritato per legem actu, personæ sunt inhabiles ad illum ponendum, tum quia implicante actu tanquàm specificativo, implicat potentia, tanquàm specificatum; tum quia legislator hoc ipso quod irritet actum, tacitè et comprehensivè irritat omnem potentiam ad actum faciendum, aliàs daretur potentia ad aliquid irritum; ergò.

4.º Ideò leges communiter irritantes non obligarent immediatè in foro interno, quia in eis non fit mentio de illo, nec de inhabilitate, atque ita cum correctoriæ sint juris naturalis, restringi debent ad forum externum; sed hæc ratio, præterquam quod nullo jure nitatur, etiam nimis probat, et subvertit ea, quæ certa sunt in utroque jure; ergò. — Prob. min. 1.º Judex in foro externo declarando actum irritum, obligat in conscientia, licèt nullam mentionem fori interni faciat; præceptum autem judicis non est fortius lege, cum judex vi legis obliget. 2.º Trid. sess. 24 c. 1 *de ref. matr.* irritando matrimonium clandestinum obligat in conscientia, licèt non meminerit de foro interno; et sess. 25 c. 15 *de Regul.*, irritando professionem Religiosam, irritat eam pro utroque foro, nulla facta mentione fori interni, aut inhabilitatis. Itèm jus Can. inducens impedimenta dirimentia matrimonii obligat pro utroque foro, licèt vix alicubi mentionem fori interni faciat. 3.º Juxta c. 1 *de sent. et re jud. l. 1 ff. quæ sent. sine app. rescind.*, sententia contra Canones vel leges lata, est nulla in utroque foro, licèt nulla mentio fiat fori interni, etc.; ergò.

5.º Leges fundatæ in periculo universali, obligant immediatè in conscientia, exceptis pœnis vindicativis, quæ infligendæ sunt per judicem; sed leges irritantes ferè omnes fundantur in periculo universali fraudum, damnorum, et similium malorum in electionibus, testamentis, alienationibus, judiciis etc.; ergò obligant immediatè in conscientia.

*Fundamenta sententiæ negativæ dicentis leges communiter irritantes non habere locum in foro interno, nisi mediatè, scilicet mediante sententia judicis, cui tanquàm præcepto justo in conscientia parendum est:*

1.º Leges irritantes actum ipso jure sunt correctoriæ juris naturalis; ergò tanquàm odiosæ restringendæ sunt ad forum externum, nisi aliud expriment, ex quo significetur obligatio pro foro interno. — 2.º Jura dum volunt irrationem observari in foro interno, id expriment claris terminis, ut *extrav. 2 de elect. inter com*; ergò à sensu contrario, ubi non expriment obligationem pro foro interno, censentur obligare solum pro externo. — 3.º Juxta *reg. 57 contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda*; sed legislator, si voluisset obligare pro foro interno, id dicere potuit apertius; ergò. — 4.º Actus jure irriti dicuntur irritandi, vel rescindendi, (*cap. 40 de elect. cap. 8 de consuet. tit. ff. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur*); ergò actus isti erant validi, cum rescissio supponat actum validum; sed non erant validi pro foro externo; ergò saltèm pro interno. — 5.º Leges simpliciter et communiter irritantes ita usu communi et moribus receptæ sunt, ut homines passim existiment se non aliter iis obligari, quàm post sententiam judicis: tum quia fini legis satisfit, si actus in foro externo

non sit firmus; tum quia fideles id quod per actus jure humano irritos acquirunt, non solent restituere citius, nisi cogantur per sententiam judicis, neque acquisita retinendo, si aliàs nulla fraus et iniquitas intervenerit, cogitat se malè agere; ergò usus et mores hominum satis explicant leges irritantes non obligare pro foro interno, nisi mediàtè et conditionatè, si sententia sequatur; cùm usus et consuetudo sit optima legum interpres. (l. 37 ff. de LL.)

Ex his, priora quatuor argumenta sunt potiùs ad disputandum; ultimum verò, (quod ex Lessio affert Reiff. h. t. n. 259) magnam habet probabilitatem, et ex illo solvi possunt argumenta prioris sententiæ, et paritates de impedimentis matrimonii, et professionis Religiosæ; quia scilicet, ex subjecta materia Sacramenti et voti, utpotè ad forum internum pertinente, omnes prudentes judicant dispositionem Trident. debere locum habere in utroque foro; quod iudicium non est de aliis iegibus communiter irritantibus. Ego tamen adhæreo priori sententiæ, quæ mihi videtur probabilior.

R. Ad 1.<sup>m</sup> N. C. quia nimis probat, aliàs enim leges servitutum contra libertatem, usucapionem, matrimoniales, et plures aliæ juris naturalis correctoriæ restringendæ essent ad forum externum. Undè hic locus est contrariæ regulæ; *Lex obligat in conscientia, nisi Legislator expressè restringat jus naturale, et non velit obligare immediatè pro foro interno.* Præterea sententia judicis, non minus quam lex irritans, est correctoria juris naturalis, neque tamen restringitur ad forum externum.—Ad 2.<sup>m</sup> D. A. id exprimunt de necessitate N. A. ad majorem cautelam et aggravationem C. A. Expressio taciti, quod inest, sicut legi inest obligatio pro utroque foro, nihil speciale operatur, sed facit majorem cautelam, cautela verò abundans non nocet. Rursùm, hoc arg. nimis probat, scilicet nullam legem humanam obligare pro foro interno, nisi hujus mentionem habeat.—Ad 3.<sup>m</sup> est eadem solutio. *Regula cit.* locum habet si sensus legis obscurus et dubius est, non verò si omittatur id quod jure inest.—Ad 4.<sup>m</sup> D. A. dicuntur irritandi de facto, seu nulli declarandi C. A. irritandi de jure, seu tanquàm validi dissolvendi N. A. Sæpiùs etiam dicuntur irriti (c. 20 de elect.) ibi: *electionem istam prædicti Canonis auctoritate cassatam, denunciavimus irritam et inanem:* nam ex subjecta materia colligi debet, quando hi ternini, *irritandus, rescindendus,* et similes significant rescissionem, *de jure et de facto:* si actus de jure est invalidus, rescissio ejus est *de facto,* quia declaratur factum fuisse invalidum; si verò actus ipso jure est validus, rescissio illius est *de jure,* quia valor, aut jus quæsitum rescinditur, seu tollitur.—Ad 5.<sup>m</sup> Usus et consuetudo non satis hanc interpretationem probant, quia multò plures talem usum reprobant; et consuetudo, cum sit facti, probari debet: quàm sit verò difficilis probationis, nemo non perspicit. Specialia argumenta pro et contra in materiis particularibus afferentur, ut de legibus irritantibus electiones, testamenta etc.

## §. IV.

## De lege fundata in præsumptione, et fictione juris.

25. Nota I. Præsumptionem; definiri: Conjectura rationabilis de re dubia, ex indiciis quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Ex qua definitione patet, præsumptionem esse iudicium desumptum ex indiciis, seu circumstantiis plerùmque connexis cum veritate. *Fictio juris* est certa dispositio, qua Legislator ex justa causa idem statuit in casu ficto, quod alia lex in casu vero possibili, v. g. beneficiatus Ecclesiæ causa absens fingitur residere in beneficio, et ita lucratur fructus grossos, ac si re ipsa resideret. Differunt autem *præsumptio* et *fictio juris*: nam *præsumptio* innititur verisimili veritati ex indiciis et circumstantiis; at *fictio juris* est in casu manifestè falso, qui tamen ob æquitatem naturalem idem operatur, quod casus verus, ut ex citato exemplo.

Nota II. Præsumptionem aliam esse *hominis* seu *judicis*, dum iudex ex indiciis præsumit, seu existimat aliquid factum esse verum; aliam *juris*, dum jus ipsum præsumit, seu existimat aliquid esse verum. De præsumptione *hominis* agitur *libr. 2. tit. de præsumpt.* Hic pro notitia legum aliquid dicitur de præsumptione juris.—2.<sup>o</sup> Præsumptio juris dividitur in eam, quæ tantum est *juris*, et in eam, quæ est *juris et de jure.* *Præsumptio juris, tantum* est, dum jus in dubio aliquid pro vero habet, donèc probetur contrarium. Sic quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus (c. fin. de præsum.) et *semel malus semper præsumitur malus* (per reg. 8. in 6.), putà in eodem genere; quia mutatio est facti, adeoque probari debet: natus et educatus inter christianos præsumitur baptizatus, (c. fin. de Presb. non bapt. in fin.) *Præsumptio juris et de jure* est, dum jus aliquid pro vero ita habet, ut probationem saltè directam in contrarium non admittat. Talis præsumptio, de jure antiquo fuit in c. 30. de Sponsal., ubi cognoscens sponsam de futuro, præsumitur eam affectu maritali cognoscere, et ita matrimonium contrahere—3.<sup>o</sup> Utraque hæc præsumptio, vel fundatur *in facto*, vel *in periculo universali* damnorum, fraudum et similium malorum. Lex fundata in *præsumptione facti* est, quæ supponit aliquid factum intervenisse super quod disponit. Lex fundata in *præsumptione periculi* est, quæ facto non attento, pro motivo habet periculum generale cujusdam mali, ad quod evitandum lex ista posita est S. D. 2. quæst. 60. art. 4. ad 3. priorem præsumptionem vocat *definitionis*, putà super casu et facto singulari, posteriorem verò præsumptionem *præsuppositionis*, quia ex parte Legislatoris præsupponitur iudicium moraliter certum super periculo universali.

26. Q. 1. An lex fundata in præsumptione facti, hoc deficiente, obliget in conscientia?

R. Negativè, sive sit præsumptio juris tantum, sive juris et de jure. com. Nam talis lex semper tacitam habet conditionem: *si res ita se habet,*

si *præsumptio est vera*; ergo si factum deficit, et *præsumptio est falsa*, lex non obligat, quia per *Can. 4. d. 8.* *præsumptio* cedere debet veritati, imò quandoque nec obligare potest in conscientia. Exemplificatur res:—1.º per *præsumptiones juris in facto fundatas. C. fin. de Presb. non bapt.*, quilibet inter christianos natus et educatus *præsumitur baptizatus*; si tamen constet, non esse baptizatum, baptizari debet. *C. un. de despon. impub. in 6.*, quisque expleto septennio *præsumitur usu rationis præditus*; si tamen non est, non obligatur contractu sponsaliti. Similes *præsumptiones* habentur, *l. 9. 10. C. de servit. l. 8. ff. de Probat. l. 11. ff. fin. regund. l. 6. ff. de his, qui sui, c. 4. 6. et 10 de Despon. impub.*—2.º Per *præsumptiones juris et de jure in facto fundatas. C. 21. de Sponsal.*, *præsumitur mulier liberè consensisse in matrimonium*, quæ coacta nupsit, et sexquanno marito cohabitavit; si tamen reverà non consentit, matrimonium est nullum. *C. 6. de condit. appos.*, qui cognovit desolatam sibi sub conditione, *præsumitur conditionem remisisse*, et absolutè in matrimonium consensisse; si tamen reipsà conditionem non remisit, non tenet matrimonium absolutè. Ex Trident. *sess. 25 c. 19. de Regul.*, *præsumitur quis professionem Religiosam ratificasse*, qui intra quinquennium contra illam non reclamavit. Si tamen certò scit professionem suam fuisse invalidam, nec à se ratificatam, coram Deo non tenetur illa. Similia exempla habes, *c. 15. et 30. de sponsal. c. un. in fin. de despons. impub. l. 22. ff. de Probat. tit. C. de non num. pec.* Hæc quoad forum internum: at in foro externo, statur *præsumptione juris et de jure* nulla directa probatio admittitur, *cap. 30 de Sponsal.* Si quis tamen tali legi, vel sententiæ judicis citra peccatum obedire non potest, debet potiùs quascumque pœnas, etiam excommunicationem humiliter sustinere, quam cum peccato parere judici ex falsa *præsumptione* judicanti, v. g. ut reddatur debitum conjugii putativo, cujus matrimonium iudex pronunciavit validum, (*cap. 44. de sentent. excommun.*) Idem dic de sententiâ, quæ si fundata est in falsa *præsumptione facti*, non obligat in conscientia: v. g. iudex non debitorem condemnat ad 100.; condemnatus, si via juris aliter se defendere non possit, in foro externo tenebitur solvere, sed in interno uti potest occulta compensatione. Ità com. TT. et Canonistæ.

27. Q. II. *An lex fundata in præsumptione periculi universalis obliget in conscientia, licet in particulari casu fallat præsumptio?*

R. Affirmativè cum com. et vera sententiâ: nam motivum adæquatum talis legis non est aliquod factum, vel damnum particulare, sed est ipsum generale periculum damnorum, quod moraliter est certum et infallibile, semperque durat, etsi in hoc particulari casu nullum damnum sequatur; ergo stante tali motivo periculi generalis lex manet obligatoria. Sic Trid. prohibens matrimonia clandestina, Bulla Cœnæ prohibens lectionem librorum hæreticorum, lex prohibens noctu arma portare, et aliæ similes obligant, etsi in his particularibus personis non sit periculum negandi matrimonii, perversionis, rixarum etc.

Dices: cessante motivo adæquatè, cessat lex respectu omnium; ergo

cessante inadæquatè, cessat respectu hujus personæ. R. — Neg. C. Nam *jura non in singulas personas, sed generaliter*, seu pro tota communitate *constituuntur*, (*l. 8. ff. de LL.*) Ex dictis colliges, quid sentiendum sit de illa phrasi: *præsumptio facti, præsumptio juris*, quæ nonnulli præsertim TT. utuntur. Et quidè in hoc sensu non verificatur, quasi *præsumptio juris non fundaretur in facto*, cum frequenter in eo fundetur, ut dictum antea; verificatur tamen in eo sensu, quod *præsumptio facti* dicatur, quæ fundatur super veritate facti, sive sit *præsumptio hominis, sive juris tantum, sive juris et de jure*; *præsumptio verò juris specificè accipiatur pro motivo periculi generalis, vi cujus, non attento facto, Legislator jus certum constituit*. Et sic diversitas in modo loquendi inter AA. concilianda, nec facile reprehendenda est.

28. Q. III. *An lex fundata in fictione juris prosit etiam in foro conscientie?*

R. Affirmativè; communis. Nam fictio ista fundatur in æquitate naturali, ob quam lex aliquid concedit, quod aliàs conceditur in casu vero. Sic beneficiatus theologiam vel Canones docens, fingitur residere in beneficio, et lucratur fructus, ac si reverà resideret (*c. fin. de Magistr*); testator apud hostes captus et mortuus, fingitur in patria mortuus, et testamentum prius factum sustinetur: (§. 5. *inst. quib. mod. jur. patr. potest. et tit. ff. de captivit.*) Sic Religiosus, prout meliùs est monasterio, in jure jam fingitur servus, jam filiusfamilias, jam mortuus, jam vivus, etc. Plura exempla fictionum juris affert Jason. et Reiff. et alii per omnia prædicamenta, quæ in decursu juris facile deprehendes.

29. Q. IV. *In quibus locum habeat fictio juris?*

R. Tantum in casibus à jure expressis, neque à casu ad casum extenditur: nam concedere aliquid in casu ficto, quod aliàs conceditur in casu vero, est solius Legislatoris. Undè non valet: monasterium est loco filii, ergo monachus est loco patris. — Fictio non trahitur ad impossibilia per naturam, vel per jus: sic infans non potest fingi homicida, licet adultus factus ratificet homicidium suo nomine factum, quia per naturam erat ei impossibile demandare homicidium; et monachus non potest fingi donasse, quia per jus est ipsi impossibile donare nomine suo, etc.

## §. V.

### De mutatione legis.

30. Nota. Legem mutari posse vel *ab intrinseco*, vel *ab extrinseco*. Ab intrinseco dupliciter mutatur: *totaliter*, dum cessat totale motivum legis; *partialiter*, dum respectu unius casus aut personæ cessat finis, aut motivum legis, quod fit per interpretationem et epikiam. — Ab extrinseco pariter mutatur, vel *totaliter per abrogationem*, dum tota lex directè tollitur

saltē indirectē per contrariam legem, aut consuetudinem; vel *partialiter per derogationem* aut *dispensationem*, dum lex mutatur in uno, vel altero capitulo, vel una persona dispensatur ab observantia legis.

31. Q. I. *Quandō, et quomodō lex cesset ab intrinseco?*

R. 1.<sup>o</sup> Cessante adæquato fine legis, cessat ipso facto lex, nam juxta *can. 2. d. 4.* lex debet esse utilis communitati; sed cessante fine, seu motivo adæquato, lex amplius non est utilis communitati; ergō. Sic lex qua, ob sævientem pestem vel hæresim, prohibetur transitus ad alterum regnum, cessante peste vel hæresi, inutilis fit communitati, adeoque cessat.—2.<sup>o</sup> Si finis legis cesset positivè seu contrariè, ita ut ex materia licita fiat illicita, peccatum est observare talem legem: nam esset observatio rei hie et nunc illicita, v. g. si quis vellet hodie observare legem circumcisionis.—3.<sup>o</sup> Si finis legis cesset tantum negativè et partialiter, remanente motivo totali, non cessat respectu particularis personæ; nam lex fertur toti communitati; ergō si motivum subsistat totale, stringit singulos de communitate, licet respectu particularis personæ cesset negativè, seu non militet contra ipsam. Sic teneris jejunare, etsi carnem spiritui subjectam habeas; noctu non portare arma prohibita, etsi cædem vel rixas non intendas, etc.; secus esset, si finis adæquatus cesaret negativè, quia tunc lex inutilis esset communitati, vel si finis partialiter cessaret contrariè, quia ad talem casum, utpotè hie et nunc illicitum, lex se non extendit, ut dictum est.

32. Q. II. *Quomodō lex cessare possit ab extrinseco?*

R. 1.<sup>o</sup> Cessare potest totaliter per abrogationem, dum Legislator, vel ejus successor, vel utriusque superior totam legem revocat, seu tollit: nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi potest (*reg. 1 in antiq.*) Abrogatio ista sine justa causa, quamvis non sit licita, cum lex supponatur esse utilis communi bono, est tamen valida, siquidem tota vis legis pendet à voluntate Principis (*l. 1 ff. de Const. Princ.*) Si tamen superior legem confirmavit ad favorem publicum, regulariter sine ejus consensu nequit tolli, quia confirmando censetur suam fecisse, (*arg. l. 1 § 6 ff. de V. J. E.*), nisi per accidens, ut plerumque fieri solet, confirmatio ad majorem auctoritatem petita fuisset.

2.<sup>o</sup> Lex partialiter cessare potest per derogationem, vel dispensationem; nam si legislator totam legem extinguere potest, à fortiori poterit illam in uno vel altero capitulo immutare, vel per dispensationem relaxare.

33. Q. III. *Quid, et quotplex sit dispensatio?*

R. 1.<sup>o</sup> Est relaxatio legis publica auctoritate facta in aliquo particulari casu, manente vigore legis ex parte materiæ: nam si materia est subducta legi, non est dispensatio, sed simplex interpretatio, quod casus non contineatur sub lege: v. g. est quis validus ad jejunandum, et tamen ex justa causa solvitur à jejunio, ista est dispensatio; econtrà, est quis infirmus, et citrà majus damnum jejunare non potest, propriè non dispensatur à jejunio, sed per interpretationem declaratur, casum istum non contineri sub lege jejunii.

2.<sup>o</sup> Dispensatio est duplex; *totalis*, quæ tollit obligationem legis ex

toto, ut si quis dispensetur à recitatione totius Breviaril; *partialis*, quæ tollit obligationem ex parte, ut si quis dispensetur à recitatione matutini tantum.—Rursus, alia est *expressa*, quæ fit per verba vel signa evidētia; alia *tacita*, quæ ex mente superioris colligitur, ut si Prælatus mittat Religiosum (peculii capacem) extra claustrum, tacitè cum illo dispensat, ut oblatam sibi pecuniam acceptare possit.—Itē *directa* seu immediata, qua superior dispensat cum subditis; *indirecta*, qua superior dispensat cum se ipso per alium, vel generaliter dum dispensat cum tota communitate, vel specialiter, dum confessario dat facultatem ad sibi dispensandum.—Deniquè dispensatio alia est *ex motu proprio*, alia *ad instantiam supplicantis*, alia *necessaria*, quæ sine scandalo vel gravi incommodo negari non potest, alia *permissa*, quæ sine incommodo negari potest.

34. Q. IV. *Quis possit in legibus dispensare?*

R. 1.<sup>o</sup> Legislator potestate ordinaria: nam est dominus suarum legum: inferior verò in lege superioris non potest dispensare, nisi potestate delegata, etiāsi dispensatio non sit specialiter reservata. Itā com. contra Covar. et paucos; nam regula generalis est, quod inferior relaxare non possit legem superioris, (*can. 4 inferior. d. 21. Clem. 2 de elect.*): nec ab hac regula reperitur exceptus casus, quo superior dispensationem sibi non reservavit; undè ad dispensandum requiritur, ut inferiori concessa sit facultas dispensandi, *c. 15 de temp. Ord. ibi: cum Archiepiscopo hujusmodi dispensatio à Canone minimè sit permissa, ipsi obtemperare non debet in hac parte.* Itaque in jure pontificio præter Papam nullus dispensare potest, nec Primas, aut Patriarcha, aut Metropolitanus in legibus Concilii nationalis, aut Provincialis, quia inferiores sunt Concilio: benè verò capitulum sede vacante in legibus Concilii diocæsani, sicut sede plena Episcopus, cum jurisdictione necessaria ad capitulum devolvatur. Sufficit autem tacita concessio; et itā vi hujus, Episcopi dispensant in observationibus festorum et aliis, pro quorum dispensatione semper recurri non potest ad S. Sedem. Idem faciunt Prælati regulares cum suis subditis: et quia potestas ista in his casibus dispensandi annexa est dignitati, æquiparatur potestati ordinariæ, atque itā est delegabilis.

2.<sup>o</sup> Prælatus habens potestatem dispensandi cum aliis, potest etiam immediatè et directè dispensare cum se ipso in legibus, votis et juramentis. Itā Caj. Salm. et alii com. Prob.: ex reg. generali desumpta ex *l. 3 ff. de adopt. l. 1 § 5 ff. de manmissis vind. etc.*, ad exercitium jurisdictionis voluntariæ non requiritur distinctio personalis inter eum, à quo, et cui præstatur auctoritas; seu potest quis jurisdictionem voluntariam in se ipsum exercere, nisi specialiter prohibeatur in aliquo casu; sed dispensare est exercitium jurisdictionis voluntariæ; ergō. Ne tamen Prælatus amore proprio excæcatus, in dispensando delinquat, consultius faciet, si talem dispensationem suo confessario commiserit.

Dices: Nemo potest se ipsum judicare, absolvere, ordinare (*can. 27 inter 23 q. 4 l. 10 ff. de jurisd. l. un C. ne quis in sua causa.*)—2.<sup>o</sup> Jurisdictionem voluntariam in se ipsum exerceri non posse; (*Clem. 2 de reb. Eccl. non al. c. fin. de Instit. l. 1 ff. de auctor. Tutor.*)

R. Ad 1.<sup>m</sup> Jurisdictio coactiva, absolutio à peccatis et ordinatio Clericorum, jure naturali et divino requirit distinctionem personalem, cum nemo se ipsum cogere possit, neque formæ Sacramentorum respectu sui verificentur; quæ, et similes rationes non currunt in dispensatione.—Ad 2.<sup>m</sup> Isti casus ob fraudes et ambitionem sunt specialiter excepti à reg. generali. Vide *Resol. Canon. hic resol. 3.*

35 Q. V. *An justa causa requiratur ad dispensandum?*

R. Affirmativè (Trid. S. 24 c. 5 de ref. Matr. et S. 22 c. 15 de ref. S. 25 c. 28 de refor.); nam sine causa ponere inæqualitatem inter subditos, esset non tam dispensatio, quàm dissipatio et quædam acceptio personarum. Et quidem, si inferior dispensat, justa causa requiritur non tantum ad licitam, sed etiam ad validam dispensationem; quia Superior non aliter censetur concedere facultatem, nisi ut rationabiliter et prudenter dispensetur: si verò legislator est, justa causa requiritur solum ad licitam dispensationem, cum legislator tanquam dominus legis, non solum relaxare, sed etiam abrogare validè possit suam legem absque ulla causa. Hic tamen monent Salmanticenses, quod, si legislator dispenset absque justâ causa, vel minùs sufficienti, secluso scandalo, non committat ex genere suo peccatum mortale, quia in hoc quod omnes non conformentur in observantia legis, non videtur tanta inordinatio, quæ sufficiat ad peccatum mortale, nisi accedat alia circumstantia gravis, ut damnum Reipubl. vel tertii, scandalum et alia incommoda. Quando dispensatio sit subreptitia, vel obreptitia colliges ex seq. tit. Vide Salmant. *Tr. de LL. c. 5.*

## §. VI.

### De interpretatione legum.

36. *Nota.* Interpretationem definiri: Sensus in leges contenti explicatio. Et hæc (juxta gloss. in *L. 37 ff. de LL.*) est triplex: *authentica, usualis, et doctrinalis.*—*Authentica* est, quæ fit ab ipso Legislatore qua tali, vel successore, vel superiore, per rescriptum legitime instar juris editum ac intimatum. (*C. 31 de Sent. excom. l. fin. C. de LL.*) ibi: *leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.* Si autem legislator, non qua talis ex jurisdictione, sed qua doctor privatus leges interpretetur, interpretatio est tantum doctrinalis.—*Usualis* est quæ fit ex usu et consuetudine populi, quia per *L. 37 ff. de LL. consuetudo est optima legum interpret.*—*Doctrinalis* est, quæ fit à jurisperitis in sua scientia versatis. Et hæc dividitur trifariam: in *declarativam, extensivam, et restrictivam.* *Declarativa* est, quæ verba dubia et obscura explanat. *Extensiva*, quæ legem à casu expresso ad non expressum, vel à persona ad personam extendit. Quod fit dupliciter: *purè extensivè*, dum ob solam paritatem rationis lex ab uno casu extenditur ad alterum: v. g. Proconsul ubique extra urbem procon-

sularia insignia habet (per *L. 1 ff. de Offic. Procon.*); ergò et Legatus à latere, qui æquiparatur Proconsuli in dignitate et jurisdictione: et *comprehensivè*, dum ob identitatem rationis lex ab uno casu porrigitur ad alterum, lege quidem non expressum, in mente tamen legislatoris comprehensum: v. g. lex prohibens arma vel frumentum ad hostem vehere, tacite et *comprehensivè* prohibet delationem ferri aut farinæ. *Restrictiva* est, quæ propter speciales circumstantias restringit legem, seu benignius ipsam interpretatur, quod non obliget in his circumstantiis. Aliter vocatur *Epithia*, id est, benigna interpretatio legis secundum æquum et bonum, seu emendatio legis, qua parte deficit propter universalitatem.

37. Q. I. *An præter Legislatorem, etiam inferior authenticam legum interpretationem facere possit?*

R. Regulariter loquendo non posse: nam interpretatio authentica, cum faciat jus commune, necessario procedere debet à potestate legislativa. (*l. 9. 11. 12. C. de LL.*); at ex speciali commissione, etiam inferior authenticè interpretari potest legem Superioris. Et quidem:—1.<sup>o</sup> *Papa*, sicut olim Summus Sacerdos in Vet. Test. authenticè interpretari potest legem naturalem et divinam positivam, cujusmodi interpretationes multæ sunt in jure Canonico: v. g. marito, vel patri non licere occidere adulteram filiam, vel uxorem etc. Sic etiam in damnatis propositionibus Pontifices Romani interpretes agunt circa ea, quæ pertinent ad jus naturale et divinum: nam talis potestas necessaria fuit Ecclesiæ, eamque Christus dedit inclusam in generali potestate ligandi et solvendi. Illa autem censenda est interpretatio authentica, quam Papa, ut doctor publicus, prævia matura consideratione, toti Ecclesiæ proponit tenendam, secus est tantum interpretatio doctrinalis et probabilis, quam Papa, ut doctor privatus facit.—2.<sup>o</sup> *Sac. Congregationes*, ex speciali S. Sædis commissione, possunt jura Pontificia, servatis servandis, authenticè interpretari, præsertim Congr. Conc. Trident. ut in Prolegom. dictum.—3.<sup>o</sup> *Prudentes* olim authenticè interpretabantur jus civile (§. *responsa. In. de J. N. G. et D.*) quæ potestas hodie Jctis. sublata est (*l. 12. C. de LL.*) Ceterum interpretatio *authentica*, uti et *usualis*, cum nitatur potestate legislativa, facit jus commune. (*cit. l. 12 et l. 35. 36. 37. ff. de LL.*)

38. Q. II. *An licita sit interpretatio doctrinalis in omni jure?*

R. Affirmativè, modò fiat secundum regulas communiter à DD. receptas (*l. un. C. de Profess. qui in urbe, l. 1. ff. de R. C. l. 17. 18. 19. ff. de LL. et arg. c. 2. de priv. in 6.*); nam ex una parte leges sæpè sunt obscuræ, et ex altera Legislator sæpè pro commoditate adiri non potest, imò nec semper vult interpretationes authenticas facere; ergò necessarium erat, ut talis facultas interpretandi viris doctis concederetur. *Excipe*, nisi legislator expressè prohibeat alicujus legis interpretationem; quo casu, ut prohibitio aliquid operetur, non solum interpretatio frivola, sed etiam quæcumque alia ex professo suscepta censetur prohibita. Sic ex Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, ad calcem Trid. specialiter prohibetur interpretatio Tridentini, ex professo suscepta et typis edita, absque consensu S. Sædis; Prælati quidem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliis verò sub pœna ex-